

N E C R O L O G I A

† R. P. Iosephus Hamelryckx (1863-1929).

(Prov. Baltimor.)

P. Hamelryckx (ab Americanis pretiosi temporis adeo avidis, inutilis vero operae inimicissimis vulgo *P. Hamel* vocitatus) in lucem editus est intra Belgarum fines, in Hal, prope Bruxellas, d. 4 Ian. 1863. Admodum puer una cum parentibus in Americam septentrionalem venit, in Pensylvaniae urbem Philadelphiam, ubi pater in nostra S. Bonifatii paroecia consedit ac brevi universalem venerationem sibi comparavit.

Unicus filius, Iosephus, qui scholam nostram paroeciale frequentabat atque inde a primis annis Alphonsiani Instituti notitiam percepérat, eidem nomen vitamque dare constituit. Petiti igitur iuvenatum Americanum, in North East constitutum, et absolutis ibi sex annorum studiis novitiatum Annapolitanum, ubi d. 27 Augusti 1887 vota religiosa nuncupavit. Tum Ilchesteriae altiorum studiorum cursum emensus est (sacerdos ordinatus d. 7 Dec. 1892), alterum vero novitiatum in Saratoga Springs, duce famoso P. Iosepho Wissel seniore.

Postquam per annum cum dimidio Roffae (*Rochester*) laboravit, per 18 annos continuos *missionarii* munus exercuit, peragrans totam orientalem Statuum Foederatorum plagam, a *Florida* ad *Maine*, Canadenses quoque ad solis ortum provincias atque illam vastam regionem, quae *Middle West* audit, interim per vicem adscriptus his communitatibus: New York (*St. Alphonsus'*), Saratoga, Annapolis, Detroit, Saratoga iterum.

Anno 1913 missionalem vitam cum animarum *cura paroeciali* commutare iussus, huic apostolatus generi pari cum zelo se dedicavit in quattuor his paroeciis: Neo-Eboraci (*East 61. Street*), Buffali, Baltimorae ad SS. Cordis Iesu, Neo-Eboraci ad Immaculatae Conceptionis (*Bronx*). Terrestrem vitae cursum finivit Neo-Eboraci in S. Francisci nosocomio d. 25 Maii 1929.

In exsequiarum sollemnibus, in sequenti d. 29 Maii habitis, 67 (sexta ginta septem!) confratres Redemptoristae aderant, 5 alii religiosi totidemque presbyteri saeculares, unde inferre licet hunc Patrem in vita aliorum existimationem et amorem haud communis gradu sibi conciliasse. Orationem funebrem habuit R. P. *Eduardus Weigel*, qui ipse tribus abhinc annis aureum sacerdotii iubilaeum celebravit; ex qua oratione pulcherrima hanc desideratissimi P. Hamelryckx *notationem morum* desumere liceat.



« Per 42 annos P. Hamelryckx Redemptorista fuit fidelis, semper insigne Dei beneficium existimans se ad missionalem S. Alphonsi Congregationem vocatum esse. Cum unica parentum piorum proles esset, omnia mundi bona reliquerat, ut divinum Christi exemplar imitaretur, animarum salutem promoveret, sibique *hereditatem incorruptibilem, conservatam in caelis* (1) compararet. Sacerdotii eius anni 36 operositatis haud intermissae pariterque successuum admirabilium periodum denotant.

« P. Hamelryckx, cum operi missionum valde idoneus reperiretur, per 18 annos multas dioeceses Americanas et Canadenses peragravit, ubique spiritus vere apostolici documenta relinquens. Firma valetudine praeditus, sibi non parcebat et cooperatoribus suis incitamento erat, Superioribus vero *turris fortitudinis*, semper illimitata eorum fiducia dignus.

« Postea missionali vitae dolens quidem, at voci sanctae obedientiae prompte obsecundans, valedixit, annos ultimos ultimasque vires operi paroeciali consecratus.

« Octo abhinc annis (d. 21 Jul. 1921) ad hanc Immaculatae Conceptionis paroeciam venit. Vos ipsi testes fuistis, quomodo *omnibus omnia factus* sit, sine ulla personarum acceptance. Meministis eius eloquentes sermones, perspicuas catecheses, practicas ad varia sodalicia conferentias, paternum erga parvulos amorem, apud quos ipse ut parvulus apparebat. Eius erga aegrotantes ac tribulatos caritatis lucida vidistis argumenta. Quos cum visitabat, laeta lux solis in cubiculum intrare videbatur. Recordamini, quam paterna bonitate in confessionali vacillantes confirmaverit, timores abegerit, dubia solverit, ad rectum vitae statum multos conduxit. Quot fidelibus ab haeresi conversis, quibuscum ille verae fidei donum communicavit, eius memoria sacra est! Amabat pauperes. Sub externa specie, quae aliquando rudior videbatur, abscondebat cor tenerum. Qui plurimum eum noverant, plurimum eum amabant, deprehendentes in eo qualitates, quae aestimationem postulabant, excitabant fiduciam eumque virum solidae virtutis comprobabant. Detestans omnem falsitatem et os bilingue, opere et sermone semper verax erat, velut liber apertus.

« Cum animae fortes in camino tribulationum probentur, desideratissimus amicus noster sic non est inventus levis. Gravis operatio chirurgica, quam Baltimorae iam subierat, eius valetudinem robustam concusserat. Nihilosecius eodem flagranti zelo, quo antea, officiis suis vacare pergebat. Tamen natura tandem aliquando succumbit. Ultra biennium hic generosus heros heroica plane patientia dolores acutissimos tolerebat, denique etiam sacerdotis summo orbatus solacio, litandi incruentum Novae Legis sacrificium. Tum vero eius magnanimitas et virtus denuo luculenter apparuit.

(1) I Petr. 1, 4.

« Miti fine tandem bonus confrater quievit. Pius Mariae cliens in brachiis dilectae Matris mortuus est, mense (Maio) et die (sabbato) ei sacris. Non est dubium, quin dulcis Mater infantem ad misericordis Filii Iesu thronum comitata sit.

« Nihilominus videor mihi ex altero mundo dilecti nostri amici vocem audire: *Obsecro vos, fratres, per Dominum nostrum Iesum Christum, et per caritatem Sancti Spiritus, ut adiuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* » (1)

---

« *Deum, Deum solum volo, et aliud nihil!* » *O beatum illum, qui ita loquatur!... Jesus Christus sit totius cordis tui dominus.*

(*S. Alph. ad Sor. Briannam Ccrafa d. 6 Aug. 1769.*)